1207. Milano
Monastero di S.ta Radegonda.

3.

In nomine domini. Ego Gaitardus iudex olearius nomine abba
tisse monasterii sancte Radegonde. seu nomine illius monasterii
peto quatinus Menabovus de Dexio. stopet seu claudat de muro
fenestras duas. quas cum legiptimas tempore clause stetissent. et
stare deberent de novo aperuit seu aperiri fecit. in quodam
muro qui est inter ipsum monasterium et domum ipsius Menabovi
et uxoris eius. Et que domus fuit quondam [illegible] Stracadi Ber
lochi. et cui muro est a mane pars earumdem domorum. que venit in parte
Alberto et Jacobo qui dicuntur Berlochi. a meridie ipsius Menabovi
a sero Gulielmi de Casate. a monte eiusdem monasterii. Et
ipsas fenestras stopatas et clausas teneat. nec de cetero ibi
seu in ipso muro aperiat seu habeat ipsas fenestras vel
similes. Item peto ut predictus Menabovus auferat
vel removeat grondam sive stiliadium. quod habet
super ipsum murum. per quod seu quam aqua pluit super
terram illius monasterii. seu aquam immittit. Nec
de cetero ibi stiliadium vel grondam [illegible] habeat. quod
vel que pluat super terram illius monasterii. seu per quod
vel quam aquam mittat super terram eiusdem mo
nasterii. Cum non est ei ius predicta ibi habere vel
facere. et ipsi monasterio seu domine abbatisse ius est
prohibendi et cogendi. ne predicta fiant. et ut facta
tollantur. Item peto. ut mihi det et solvat ad partem
illius monasterii sol. XX. pro ficto annorum. XX. preteritorum
quod dare tenetur predicto monasterio. Item peto no
mine eiusdem monasterii seu predicte [illegible] domine abbatisse
quatenus Isabella iugalis uxor ipsius Menabovi et filia quondam
Rogerii Stracadi. et ipse Menabovus dent sive solvant
mihi ad partem illius monasterii libr. X. que promisse
fuerunt dare a predicto quondam Stracado avo ipsius Isa
belle. quondam domine Columbe abbatisse tamdiu monasterii
Si fenestre ille ibi aperte erunt. vel [illegible] stiliadium seu
grondam. super predictum murum haberet. Aut ipsi mo
nasterio dimittat omnes res mobiles et inmobiles
quas ipsi iugales hinc vel possident. que fuerunt predicti
quondam Stracadi Berlochi.

Salvo iure addendi et mutandi.

Datum e[illegible] CC. VII. die lune. quarto die ante kal.
iunii.

Morbio 10 (3)

Urtbog

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1806837684-19/fragment/page=2